ELOGIA SEPTEM ECCLESIAE PATRUM PRIMUM EDITA OCTAVIO FERRARIO...

Ottavio Ferrari, Francesco Barbaro

ELOGIA
SEPTEM ECCLESIAE PATRUM

PRIMUM EDITA

OCTAVIO FERRARIO

AUCTORE

ET

FRANCISCI BARBARI

EPISTOLAE TRES INEDITAE.

VENETIIS,
TYPIS CAECINIANIS ET SOC.
MDCCCXLIII.

PERILLUSTRI AC REVERENDISSIMO DOMINO

ALOYSIO ZENTILLI

ECCLESIAE S MARIAE GLORIOSAE CURIONI

DECANO PATRIARCHALI EXAMINATORI PROSYNODALI

METROPOLITANAE S MARCI VENETIARUM BASILICAE

INTER CANONICOS HONORARIOS

COOPTATO

KLERUS

D. D. D

REVERENDISSIME DOMINE!

Quum Te, Reverendissime Domine, Honorarii Canonici Dignitate hujusce D. Marci perillustris Basilicae auctum nuper accepimus, qua animi voluptate affecti, quibusque erga Te obsequii ac reverentiae arctioribus vinculis constricti fuerimus, haud facile dicere nobis est, quippe Te nullo ambitu hominem, nullaque futilia insignia praeferentem, sed propria tantum virtute commendatum jure optimo merito hoc munere praeditum intuebamur. Ac sane, ut reliqua missa faciamus quae Te, prout Tibi permagnum officium concreditum postulat, omnibus numeris absolutum, quavis assentationis suspicione semota, communi plausu praedicant, cuinam prorsus caecutire non volenti clarissima in luce non explendescit Tua in pauperes eximia charitas, qua eos instar peramantis patris omni liberalitate complecteris, quin, juxta Jesu Christi monitum, de Tuo bono apere elatus, tubam quodammodo infles. Nec minori praeconio Tuus nobis zelus obversatur, qua in Domus Dei decorem exardescens, ingentibus impensis, eam omni quotidie ornamentorum genere cumulas, ex quo minime nobis verba ad Te digne honestandum sufficerent, quum tot Tibi in aevum laudes sint referendae, quot (et multa sunt quidem) Tuae tam flagrantis flammae haud peritura monumenta prostant. Nec verbis praetereunda illa quae quum virtutum omnium, tum Pastoralium quoque jure Domina veluti ac moderatrix appellatur, Prudentia, nec ea tamen secundum carnem, sed secundum Deum, quae inter praerupta syrtesque tanti Tui muneris tutam ve-

luti facem praesefert Sed quoniam Modestiae Tuae ingratum fore ducimus si nos in hoc Tuarum virtutum perhonesto curriculo Te diutius detineremus, invitis licet, finem imponimus, uno verbo omnia complecti arbitrantes si Te censeri a nobis affirmemus exemplar in doctrina, in integritate in veritate.

Quum vero tantarum virtutum Honorarii Canonici Dignitas quam hodie publice adipisceris, condignum Tibi praemium, tradita sit, nos quoque pro viribus laeti animi quodam signo Tibi obviam venire officii duximus, sin Tuis meritis congruo, certe ad voluntatem nostram ostendendam accomodato. Quare septem Elogia Ecclesiae Patrum ab Octavio Ferrario saeculi XVII perpolitae Auctore latinitatis ad ungem ingenua et castigate conscripta e Cod. LXXXII. Clas. XIII in percelebri D. Marci Bibliotheca immerita delitescenti, gratioso assensu, excerpta; (*) dein tres Epistolas Clarissimi Viri Francisci Barbari civis nostri saeculi XV decoris e Cod. LXXI. Clas. XIII numquam editas; sententiarum gravitate redundantes, Tibi exhibemus. Cujus munusculi ratio apprime Tibi et huic diei convenire videtur, cum et specimen veluti omnium Ecclesiasticarum virtutum Tibi recenti Ecclesiastico honore praedito Elogia innotescant deque novo a Te decore parto Tuus istiusmodi illustris civis patriae suae, hasce per epistolas, quodammodo gratulatur.

Qua igitur benignitate soles, haec exultationis nostrae pignora excipe, Tuaque, qua semper, nos benevolentia prosequere Vale

Ecclesiae Tuae
SACERDOTES TIBI ADDICTI.

(*) Sex elogia aliorum Patrum ex hoc fonte eruta publici juris facta sunt cum Jo Baptista Bernardi Archipresbyter Mestrensis in Tarvisina Cathedrali Canonicalem dignitatem consequeretur

D. DYONISIUS AREOPAGITA.

Eloquentiae Princeps Graecem illaeque doctrinarum omnium inventrices Athenae inanium Deorum cultu cui in ea urbe sedem universus orbis sacraverat. Cum ex eo ipso Areopago, in quo inditum capitis dixisse mars credebatur Dyonisius prodiit qui religionis nostrae primordia foveret, atque ex ea urbe propagaret unde prophani ritus et superstitio veterum petita esset

Divina Pauli eloquentia in hanc lucem vocatus Dei illius cultum cui *Ignoti Numinis* titulo statua fuerat dedicata. Magnum plane religionis incrementum quo viri major auctoritas ac sapientia fuit. Nam ante Alexandriae cum Mathematicis erudiretur, qua die syderum caelique auctor antiquas humanae gentis culpas indignissima nece expiaret, atque atratus Orbis festinantis maestitiae signis ac prodigiis parentaret conditori suo, solque in primis praeter naturae causas caligine obductus orbem tenebris incoluisset, rei novitate perculsus exclamasse fertur, aut naturae rerum suprema instare, aut ipsum pati naturae auctorem. Quod ipse literis ad Apolophanem testatus est. Creatur inde a Paulo Athenis sacrorum Princeps ut scriptis eam religionem proseminaret in cujus cognitione Tyro rudis invectus erat. Iure Chrysostomo visus ingenii acumine caelos ac sydera transcendere rerumque divinarum sapientissimus appellatus.

Haud inscius sum non defuisse qui ejus scripta vocarent in dubium quasi alterius Dyonisii aetate inferioris sint; quas magnorum virorum concertationes componere ex instituto non

est· latis praesertim Dyonisii vindiciis, ac constanti fere omnium opinione scripta Areopagitae esse.

Athenis Romam atque inde in Galliam missus sanguine religionem sanxit, quam libris de caelesti Hyerarchia Divinisque Nominibus et reliquis tutatus fuerat. Parisiis conditus celebre urbi ac loco nomen dedit.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Clemens cui patria Alexandrini cognomen dedit, non severiores modo disciplinas ad religionem orthodoxam attulit, sed et politiores literaturae tela etnicorum manibus extorta in eosdem convertit, a quibus praeclara defectione ad nos tandem desciverat. Ita libros, quos *Stromata*, quasi stragula picta ab varietate inscripsit, magnae authoritatis semper fuisse Eusebius testatus est, miraturque praecipue Cirilus ingenii vim atque ubertatem, quod scientias omnes ac disciplinas, quibus tantopere Graecia intumescat, rara felicitate apprehenderit : ut in libris adversus *Gentes* et *Pedagogo* luculenter ostendit. Certe omne laudis punctum tulit, sententiis suis atque ornamentis. Nec minor illi ab veritate ac vetustate narrationis fides, cum non magno intervallo Apostolorum aetatem sit consecutus.

ORIGENES.

Si quis scriptorem ab numero et mole voluminum aestimet neminem Graecorum ac Latinorum cum Origene comparaverit. Vix nam fieri posse videtur, hominem unum angustis humanae vitae finibus tanta perscribere potuisse. Cum tamen a prima adolescentia, parente ob Christianam religionem interempto, ut famem ab inopi familia propulsaret locare scribendo manus coactus est, et exigua notarii stipe vitam tolerare.

Ita enm angusta re familiari haud facile emergeret in opulentam domum adoptione inductus citra paupertatis incommoda Sacrarum Literarum commentationi adhaesit; atque ut nullis voluptatum illecebris ab ea contentione avocaretur, peccandique instrumenta amoveret, inusitato exemplo, sibi virilitatem execuit, Christi Domini apud sacras literas consilium severe nimis interpretatus. Ut illi propterea ab Demetrio Alexandrino dies diceretur, quod membrorum suorum mutilator, in se cruentam carnificinam exercuisset.

Caeterum incredibile memoratu est quam insignis Nominis ejus apud mortales aestimatio, praecipueque apud Principes et Reges fuerit: cum nullo insignior Bibliotheca esset, in qua imago ejus scriptaque non asservarentur. Accitusque ab Mammea Alexandri Severi matre ut sacris more nostro imbueretur. Aucta immensum fama, postquam Christianae Religionis hostis Porphyrius Philosophus celeberrimus Origenis fama ductus Alexandriam contendit ut ejus alloquio frueretur,

hominisque praestantiam singularem atque sapientiam commendavit.

Tam prosperae hominum aestimationi haud minima labes addita est: postquam falsa aut suspecta dogmata scriptis ejus inspersa apparuere: sive ab occulta ambitione adducto in praerupta ingenio: sive haereticorum fraude, qui viri auctoritatem imminutam vellent veritati sucus factus est. Nam satis constat cum adnitente Theophilo Alexandrino Concilium Cyprium scripta ejus damnasset, non parva controversia exorta est, ut et D. Chrysostomus duceretur in partes.

Postremus malorum fuit cum senecta aetate pectus illud intrepidum, et in pueritia laessens exitium, succubuit non tam mortis metu, quam flagitii, quod durius morte videbatur: manusque prophanis altaribus sacrificaturus admovit. Sed et resipuisse ferunt, verisque lachrymis tot culpas delevisse, tum septuagenarium vita plane turbulenta, casuumque plena solutum.

Vir nulli comparandus si pares exitus initia habuissent: et ne rudi saeculo meruisse laudes videatur Ulpianum, Hermogenem, Simplicium, Porphyrium, Triphonem, Frentinum aequales habuit.

TERTULLIANUS.

Ipsis Ecclesiae primordius, eum adhuc quaedam esset religionis infantia, Tertullianus impietatis facinum scriptorum suorum amuleto avertit, seelestosque sacrorum aemina elidere eonantes oppressit. Tulit hunc barbara Carthago, ut omnium fere scientiarum genere exeultum orbis veneraretur, utque ejus scripta vir Magni Nominis Cyprianus sine aemulatione quae ejusdem temporis ingenia eommuttit, quotidie lectitaret, nec nisi magistrum suum eompellaret. Hieronymus vero tantum hominem in Coelum laudibus efferret.

Verum offensiones invidiae quorumdam Romae collectae magnum animum, ut fieri solet, exasperatum, vindietae eupidiae egere praecipitem, eumque Haeretici Mantani sectae adhaesisset, etiam libris, tantum ira potuit, eam tutatus est. Errorum ejus summam ferunt, Priscae et Maximillae novorum vaticiniorum commentum, animam eorpoream naturam obtinere, ut eum corpore in natis propagetur, Malorum Manes daemones fieri. Caetera invidia affixisse magno viro aestimatur. Ob quae ex Ecclesiae Romanae gremio ejectus, dirisque defixus in ordinem coactus est.

Scribendi ejus ratio Aphricana duritie contracta passim in obscurum involvitur interpretumque ingenia fatigat: sed in eruditissimo libro quem de *Pallio* inscripsit, sensum ejus feliciter assecutus videtur summum aevi nostri decus Cl. Salmasius, cui literae plusquam ulli mortalium debent. quidquid Kescoetis malus livor insaniat.

D. CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Cyrillus Alexandriae Episcopus tanta nominis fama fuit ut eum Celestinus I. Ephesino concilio, in quod ducentum Patres convenerant, praefecerit. Quo Concilio execrabilis Nestorii impietas explosa est. Inde in Julianum Caesarem invectus impetum vesanientis strenue retudit: eademque opera sacrarum literarum monumenta editis commentariis illustravit: dignis immortalitate laboribus quibus veluti in sacrarum oraculorum adita inducimur. Ac merito de tanto viro interpres eloquentissimus ambigit Antonius Salmatia qui nuper Homelias Paschales latina civitate donavit, vir maximus ac Cyrillo interpres dignus.

Postquam Cyrillus decessit magnae cladis loco Alexandrinis habitum est, suffectos illos nefarios homines ac diris defixos, qui desiderabilem, comparatione deterrima, Pontificatum ejus fecerint.

THEODORETUS.

Cum paucis Graecorum Patrum conferendus videtur Theodoretus, non sacrorum modo oraculorum interpretatione sed literaturae prophanae atque omni philosophiae peritia. Quibus artibus Episcopatum Cyri meruit, iisdem Episcopatus ornamenta ac subsidia exercuit. Quis sacra mysteria expedivit aptius? quis dicendi vim ac majestatem, quis in disputando acumen aequavit? Excusisse Poetas omnes, Historicos, Oratores, ac Philosophos manifestum est.

At praecipue Magnum Chrysostomum non vita modo verum et stylo expressisse videtur, redundans ac fluens, atticoque lepore renitens. Cumque eodem impietatis turbine agitaretur, qui haeresi saeviente in viros probos incubuerat, nusquam pavidus ac metuens intrepide egit. Fuere illi cum Cyrillo contentiones religionis amore ac tuendae dignitatis studio; quod Cyrillus non expectato Jo: Antiocheno, et reliquis Syriae Episcopis, Nestorium Diris devovisset. In cujus rei vindictam Syriae Patres acta Concilii rescidere, donec unanimes Bisantii convenirent, omnesque horrendo carmine Nestorium defigerent.

Sed nullum illustrius viri praeconium est, quam cum celeberrima Calcedonensi Sexcentorum Patrum Synodo, Actione octava, fausto plausu, neque in adulationem conficto, Doctori, atque orthodoxo Ecclesiae Pastori aclamatum est. Leoni etiam Pontifici laudatus impense, ac saepe literis compellatus.

D. THOMAS AQUINAS.

Rerum divinarum scientia in Thomae animum veluti in religiosissimum delubrum concessit, ut ejus sacris adytis, abdita majestate sua, non alio interprete caelestia arcana evulgarentur. Meruere id mores innocentissimi eaque castimonia, quae caelestium contemplationi inhaerentem et in inenarrabilia divinitatis mysteria divino captu scrutantem omni mortalitatis faece ac sordibus absolveret.

Utque sibi superna lux purior affulgeret jam ab adolescentia nobilissimae familiae decus, et reliquum domus splendorem neglexerat. D. Dominici familiae volens adscriptus quae tum obscuris, ut ferme solet, principiis futurae claritatis primordia praebebat. Atque ibi humanis affectibus angustior, superis vivens immixtus, ea literis mandavit, quae jam quacumque Christianus Orbis patet Oraculi vicem obtinuere, ipsique ac sanctissimo ordini aeternum decus promeruit. Post eruditas vigilias aucturus Divos decessit: nam Johannes Pontifex vitae innocentia atque editus miraculis insignem sanctorum fastis adscripsit.

Reperio apud veteres Dantis interpretes cum Neapoli viam ad Lugdunense Concilium adornaret, rogatum a Rege quid de se Patribus dicturus esset cum libere professus esset tantum vera se nunciaturum, offendisse aures superbas atque in itinere, ejus jussu, veneno extinctum quo imbutus locus fuerat quo levando alvo secesserat. Idque haud obscure poetam ipsum innuisse. Quae non retulissem nisi viri ejusdem familiae doctissimi hujus quoque rei mentionem fecissent, reliquique eorum temporum conditores. Maximo certae gloriae incremento, si reliquis laudis titulis novum martyrii decus accessent.

FRANCISCI BARBARI

EPISTOLAE TRES.

FRANCISCUS BARBARUS

ILLUSTRI EQUITI GASPARO

SAL. D.

Postquam mihi in nuntiatum est Boemos ad fidem Ecclesiae sanctae Dei conversos esse, et regnum illud opulentum gloriosissimo Principi Caesari nostro cum tanta gloria sua restitutum, Tibi quoque congratulandum putavi: tum quia nihil amplum, nihil gloriosum majestati suae potest contingere quod Tibi quoque commune non putem: tum quia cum Christianum nomen et Romanum imperium divinitus amplificatum sit, hoc tanto et tam communi bono me afficior cum universa nostra Republica ut sine lacrymis explicare non possim. Quamquam Invictissimus ille Princeps fere omnia quae vel a natura, vel a virtute, vel a fortuna sunt expetenda honorificentissime sit consecutus, et jampridem eas res gesserit artibus pacis et belli quae omnium regum superiorum aut gloriam aequent aut superent. Hinc meo judicio fructum omnis ante actae vitae suae caepit, cum post tot labores, tot pericula, tot clades, tot amissos duces, captosque, tot deletos exercitus, summo consensu universae multitudinis princeps ille non solum celsitudini suae regnum illud quod ab inclitis majoribus suis virtute partum est, sed et Ecclesiae Dei fidem quam diu heu! nimium diu persecuti sunt restitueret. Deleta

est tandem illa macula quae musta erat diebus nostris hoc christianissimo et potentissimo Rege, apud Boemos fidem Christianam mortuam esse quae aut suis aut nullius alterius remediis resurgere potuisset. Domuit majestas ejus gentes, sicut de C. Caesare legimus, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas. De Turchis crudelissimis hostibus populi Christiani saepius triumphavit quum secum quisquam regum unquam conflixit. Schisma inveteratum de Ecclesia sustulit: Italiam armatam sibi parere sine armis fecit: incendium quoque, quod in Basiliensi Concilio adversus Eugenium Romanum Pontificem exsuscitatum erat, extinxit. Quae singula etsi sempiterna memoria digna sint, hujus tamen Regni recuperatio, quae consilio auctoritate ac felicitate religiosissimi Regis gesta est, immortalitate dignissima videtur, sive rei magnitudinem, sive difficultatem, sive publicam utilitatem consideremus. Nobilissimas enim gentes, ferocissimos populos, ac bellicosissimas nationes non minus armis quam sapientia vicit. Quae cum nihil erroribus suis sanctius, nihil verius esse judicarent, abjectis armis, depositis falsis opinionibus veram Deo fidem ac Regi suo Regnum praestiterunt. Quanta autem cum utilitate Reipublicae Christianae regnum illud receptum sit non facile explicari potest. Nihil dico quantis incommodis, quantis periculis et quantis calamitatibus populus Christianus sit liberatus, postquam haeresis illa perniciosissima, quae longe lateque dissipata erat, radicitus extirpata est: unde praeter clades et aerumnas nihil erat expectandum. Sed cum tantae vires, tantae opes ejus regni sint, ut aliquot annos Ungaricum et Germanicum bellum pro se sustinere potuerint; quanta nunc Romano Imperio accessio facta sit facile perspici potest. Tecum igitur in Regia Majestate congratulor ad illa summa ornamenta honoris quae sibi uni post hominum memoriam divinitus collata sunt, hunc quoque gloriosissimum triumphum qui sempiternam gloriam suam apud posteros in perpetuum commendet. Constantinus Caesar effertur in coelum laudibus quia convocatis in concilium Patribus Arianam haeresim extinxit: quod autem invictissimo Sigismundo

imperatori nostro sit factura posteritas, si grata volet esse, dicere non possum cum ille prior quidem nascentem adhuc errorem, hic noster inveteratam haeresim, quae altissimas radices habuerat, praeter spem omnium exstirpavit. Quae cum ita sint, quod gestum est felix faustum et fortunatum sit Imperatori nostro cujus ductu et auspiciis opto ut Romanum prorogetur Imperium, et secum de Infidelibus victis et profligatis in perpetuum Respublica Christiana triumphet. Vale.

Venetiis Idibus Augusti 1430.

FRANCISCUS BARBARUS

LAURENTIO SUO V. C.

S.

Hesterno vesperi literae mihi haec redditae sunt quae laetitiam honorificentissimi reditus tui jampridem conceptam et confirmatam renovaverunt. Unde sicut clarissimo ac praestantissimo Viro Cosmo et Tibi scripsi antequam Florentiam revertereris, optandum fuit nobis ut caderes, ut cum tua laude et gloria surgeres. Deum autem immortalem rogo et oro, ut postquam cum tua amplitudine patria tibi restituta est, et pro tua et majorum tuorum dignitate hoc honestissimum civitatis tuae judicium, hoc praeclarum testimonium Cosmo nostro et Tibi et liberis vestris in perpetuum conservet. Nihil enim aliud restat cum votorum nostrorum compotes sumus, quam ut felicitas nostra cum laude virtutis et optimi cujusque benevolentia, et universae multitudinis admiratione usque ad extremum vitae finem perducatur. Quare Te hortor, sicut facis, ut in istis secundis rebus non minorem magnitudinem animi declares, quam in adversis moderationem ostendisti. Pulcherrimo enim illo vincendi genere sicut constituisti Tibi vincendum est, ut placabilitate atque clementia inimicorum spem frangas, iram mitiges, furoremque debilites: ut invidiam facilius declines ut victoria dignissimus videare. Sed

quid agis? Te hortor ut facias quod fecisti, et misericordia salvos velis qui sine Cosmi commendatione et intercessione tua, ut audio, periissent. Hoc enim consilium non Tibi solum immortalem famam, sed et singularem utilitatem est allaturum.

Caesar enim, ut nosti, cum Pompeii statuas prostratas erexisset, suas firmavit. Philippus quoque Macedonum Rex cum de aedificandis arcibus ad retinendam Graeciam in potestate consultaretur, respondit virtute partum imperium, virtute retinendum esse. Ideoque male se dixit brevi tempore gloriosum principem, quam diu detestabilem tyrannum esse. Quae cum ita sint, laudo, proboque sententiam Cosmi et tuam qui in illos potissimum mites et misericordes esse voluistis, qui crudeles in vos esse voluerunt. Sic enim vos diliget multitudo, sic fidem habebit, sic cum admiratione quadam vos dignos omni honore civitatis judicabit .... Vale.

FRANCISCUS BARBARUS

ZACHARIAE TREVISANO SUO

S.

Gratissimae mihi fuerunt literae Tuae in quibus cognovi insignia dignitatis illius cum maxima laude Tua Tibi fuisse delata. Sic enim ab ineunte aetate de Tuo ingenio, de Tuis moribus judicavi ut sapientissimo ac amplissimo Viro Zacharia patre dignus esse videaris. Accedit etiam quia cum Te ac Tuos omnes non minus dilexerim et diligam quam vel naturae, vel omnino dignitas postulat; ita mihi jocunda sunt ornamenta tua, ut illis triumphem et gaudeam. Te autem hortor in omni cura, diligentia ac sollicitudine, sicut facis, Te ad virtutem et sapientiam conferas; sine quibus laus et gloria constare non potest. Quod ut facilius consequaris ita componas animum Tuum, ut, cum non Tibi sed Deo natus sis, caeteris posthabitis, eum omni pietate amicitiam ejus colas, et Tibi persuadeas ei Te amicum esse non posse, nisi vitae Tuae illi diligentissime rationem reddideris. Reddes autem ei rationem si eum interesse Tuis cogitationibus et consiliis senseris, qui non testis est vitae tuae, sed et judex et censor futurus est. Haec scribo quia cupio ut virtute praecellas aetatem, et in adolescentia sic vivas ut majoribus natu exemplo sis... Vale.

Veronae Kal. Jan. 1434